



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Dvci Brabantiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

riam assumpsisse, ac nos mortuos mentientes, confinxerunt etiam quod nobis alius fuerat substitutus; quem, ut eorum crederetur amplius falsitati, vocare pro sua voluntate Clementem; cui etiam eudentes novam bullam & litteras componentes, substitutionem illius nisi sunt per Theutoniam divulgare. Sed benedictus Dominus Deus noster, quoniam non nobis sed sibi potius iniquitas est mentita, & qui paraverant proximo suo foveam, ipsi absque illo inciderunt in eam. Iam enim manifestatur illorum malitia & iniquitas publicator qui contra Regem eundem sub fratrum nostrorum & contra venerabilem fratrem nostrum Maguntinum Archiepiscopum sub nostro nomine litteras in falsitatis fabricarunt, sic nocere volentes illi ut nobis impingeretur vitium falsitatis. Cum igitur mendaces huiusmodi aperte toties sint mentiti & toties in sua testimonium falsitatis litteris falsis usi, monemus universitatem vestram & exhortamur in Domino & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus si similia forsitan confingant de cetero, non credatis, nec moveamini per sermonem aut epistolam tamquam missam sub nostro nomine ad credendum quod usque adeo finis in proposito nostro leve ut quod mature disponimus leviter revocemus. Datum Anagninæ Idibus Decembris.

ILLVSTRI REGI DANORVM.

Epist. 97.

Sicut sibi spiritualis & materialis gladius mutuatur mutua subventionis auxilium, & vicissim communicant vires suas, ut defectus suos ope vicaria suppleant, & uterque alterius perficiat imperfectum, decet etiam ut sibi ad invicem suffragentur, & apud eos qui gladium spiritualem non timent, jus ipsius armis gladius materialis alleget, & spiritualis temporali, cum necesse fuerit, auctoritatis sue robur impendat, & tribuat super iis quæ minus essent valida sine ipso valorem. Cum igitur carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus & fratres ipsius quasdam conventiones tecum iniisse noscantur & litteris propriis roborasse, ut dispositioni regie auctoritas pontificalis accedat, conventiones ipsas, sicut ad honorem tam Ecclesie quam imperij & utriusque partis utilitatem providè facta sunt & ab utraque parte sponte recepta, auctoritate apostolica confirmamus &c. Nulli &c. Datum Anagninæ xv. Kal. Ianuarij.

In eundem modum nobili viro Langravio Turingia usque electus quasdam conventiones &c. usque quam imperij & ipsius Regis utilitatem & tuam providentiam facta sunt &c. usque in finem. Datum Anagninæ 11. Idus Decembris.

NOBILI VIRO DVCI SAXONIÆ.

Epist. 98.

Cum finem rerum providentia metiatur, & extendat sapiens sua considerationis aciem ad futura, miramur non modicum & movemur quod cum te virum esse noverimus exercitatum in temporalibus & in aliis circumspertum, in facto imperij caligare videris & finem ejus improvidus expectare. Sanè cum Suevia Dux Philippus propter impedimenta quæ in lit-

Tom. I.

teris generalibus universis Principibus destinatis nos meminimus expressisse nec possit nec debeat ad imperij monarchiam pervenire, jugiterque deficiat in se ipso, & pars ejus de die in diem amplius infirmetur, carissimus autem in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus vir sit industrius & idoneus ad imperium obtinendum, fiatque jugiter in se ipso robustior & roboretur quotidie regnum ejus, non debuera tamdiu incumbere baculo arundinco, qui manum perforat innitenti, sed illi potius adharere columen quæ in petra soliditate firmata nec pluviarum umbres, nec impetus fluminum, aut ventorum formidabit impulsus. Cum enim Dominus quod de ipsius Regis promotione disposuerat ab æterno jam inceperit temporaliter explicare, ac beneplacitum suum certis ex quadam parte indicis revelarit, cujusdam fatuitatis est species divinæ velle dispositioni resistere ac ejus omnipotentia obviare. Ecquid igitur expectas adhuc, & non prævenis in benedictione dulcedinis Regem ipsum, ut cum coronam acceperit de lapide pretioso, circa te regie benevolentia dona diffundat & magnificet & inter se honorantes honoret? Sanè prudentiam tuam non credimus ignorare quod si ultimus ad fidelitatem ejus venire volueris & post ceteros ejus gratiam obtinere, aut nullum aut difficilem invenies apud ipsum accessum, nec volet forsitan te rogatus recipere quem tu non recipis cum rogaris. Audisse namque te credimus ex evangelica lectione quod virgines quæ tunc tandem oleum emere voluerunt cum sponso fuerat occurrendum, quia cum aliis intrantibus ad nuptias non intraverunt, Nescio vos audire meruerint novissimè venientes, & clausa janua, omnis eis fuerit præclusus ingressus. Ne igitur nobilitati tuæ simile sic contingat, monemus & exhortamur attentius, consulimus, & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus omni mora & difficultate cessante ad ejusdem Regis fidelitatem accedas, & sic ejus obsequiis te adicias ut dilationem temporis fideli auxilio redimas, & devotionis constantia moræ dispendia recompenses; sciturus quod si nunc saltem audias & exaudias vocem nostram & consiliis acquiescas, apud Regem ipsum interponemus efficaciter partes nostras ut te in gratiam regalem admittat & inter eos qui ei à principio astiterunt honoret. Datum Anagninæ Idibus Decembris.

In eundem modum Bertoldo Duci Zaringia, Duci Moravia, Comiti Barenfi, Duci Austria, Duci Bavaria, Marchioni orientali, ita quod unicuique seorsim.

DVCI BRABANTIAE.

Miramur non modicum & movemur si pro te ac in te illud probabile improbatum & generale illud exceptionem reciperet specialem quo diligere dicitur qui est pater. Ecce etenim carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum, nobilis mulieris filia tua sponsum, generum immo ea media natum tuum, in eo articulo reliquisse refereris cui eum sine te non de-

A A a a ij

Epist. 99.

Vide supra
epist. 66.

bueras commississe. Sanè cum neque qui plantat, neque qui rigat, sit aliquid, & non nisi qui legitime certaverit coronetur, non sufficit si plantasti hæcenus & rigasti aliquandiu quod plantaras, nisi tandiu rigare studueris donec incrementum recipiat quod rigaras, & cum perseveraveris usque in finem, gloriam assequaris debitam pro labore. Debueras siquidem esse sollicitus ne pugnaret filius sine patre, ac sine te se dubio eventui bellorum committeret, qui te præsentè securus potuisset hostiles acies impugnare. Verùm etsi defecerit vel non profecerit saltem ei virtus hominum in quibus præcipuè confidebat, ille tamen eum in necessitatis articulo non reliquit qui secundum Psalmistam in opportunitatibus est adiutor. Vnde quia Dominum adiutorem habuit, non timuit, etsi relictus à suis, quid ei homo faceret inimicus. Vellemus autem ut trophæum tecum de hostibus reportasset, nec tu dedisses tuam gloriam alienis, aut in laborem tuum alius introisset, & sic fovisses filij tui partem ut patri semper devotius subjaceret. Sed fueras forsitan aliis occupatus, & privata necessitas ab ejus te subsidio revocavit, nec potueras simul intendere propriis & alterius negotia procurare, licet causam ejus reputare debueras tamquam tuam. Monemus igitur nobilitatem tuam & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus cum Dominus factum Regis ipsius manuteneat justitia exigente, ita ut jugiter fiat se ipso robustior & de die in diem roboretur amplius regnum ejus, in prosperis non relinquas quem fovisti hæcenus in adversis, nec patiaris ut alius ponat principii tuis finem & de labore tuo mercedis præmium assequatur. Cumque nos Regem ipsum ad recipiendam imperij coronam vocabimus, eum in forti manu & extento brachio comiteris. Taliter igitur efficias quod monemus ut de fortitudine ac constantia tua merito commenderis, nec notam alicujus levitatis incurras, & cum in stadio curreris, cursus dimidies & termines ante metam. Datum Anagninæ 11. Idus Decembris.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 100.

Cum finis non pugna coronet, miramur non modicum & movemur quod, sicut à multis audivimus, maculam in gloria tua ponis, dum quod fovisti hæcenus in sua promotione relinquis. Sanè cum super facto carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi diei & ætus pondus portaveris, & quem post Dominum solus creaveras manuteneris ferè solus, non tam pro nobis & Ecclesia Romana quam pro te ac Ecclesia Coloniensi dolemus quod in famæ tuæ ac ipsius utilitatis dispendium, cum proficere magis debueras, deficias, & meritum tui laboris amittis cum mercedem potueras obtinere. Scimus etenim, nec apud nos testibus ullis egesset, quod promotionis ejusdem Regis principium fueris, & quem plantaveras curaveris hæcenus irrigare. Nunc autem, qua occasione nescimus, eum videris penè penitus reliquisse, ita ut jam sine te triumphet de hostibus cum quo potueras triumphasse; ac quia Deus in sui disposi-

tione non fallitur, te quoque sub quadam dissimulationis specie tuum ei subtrahente favorem, de die in diem magis proficiat & amplius prosperetur; cujus prosperitas, si responderent ultima tua primis, tibi fuerat imputanda. Ne igitur perdas penitus meritum & impensam, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus illum in sine non deseras quem in initio promovisti, nec des tuam gloriam alienis, aut te ipsum efficias alienum ab eo quem quoad factum imperij genuisti; sed cum eum ad recipiendam imperij coronam vocabimus, ipsum in forti manu & extento brachio comiteris. Alioquin non tam ei videris illuisse quam nobis. Ideoque, unde nostram merueras gratiam, indignationem incurres, & pœnam reciperes unde præmium expectabas, nec etiam te cadente illud ædificium rueret quod in apostolicæ sedis est fundamento firmatum. Quia sicut nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam, ita vacuabitur conatus eorum qui quod ipse construxit destruere moliantur. Datum ut supra.

ILLVSTRI REGI DANORVM.

Licet carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus serenitati tuæ sit tam amicitia quam affinitate conjunctus, nihilominus tamen auxilium quod inter suæ promotionis primitias ei potenter & viriliter impendisti nobis reputamus impensum, & ad honorem tuum propter hoc specialiter intendimus & profectum. Nam quamvis ad favorem ipsius duplex, affinitatis videlicet & amicitia, ratio te inducat, ut tamen triplex funiculus non rumpatur, devotio- nis sinceritas, quam ad nos & Romanam Ecclesiam habere te credimus, prædictis accedens ei confert amplius firmamentum, cum sine conscientia læsione ac famæ dispendio favere valeas cui favemus. Super hoc igitur magnificentiam tuam prosequentes actionibus gratiarum, monemus & exhortamur in Domino quatenus de die in diem in ejusdem Regis dilectione proficias, & tam potenter & efficaciter foveas & promoveas partem ejus ut auxilio tuo & favore suffultus in brevi possit imperij monarchiam obtinere, sciturus quod reputabimus nobis ipsis impensum quicquid honoris & gratiæ ipsi duxeris impendendum. Datum ut supra.

Epist. 101.

SVPPANIS BOEMIAE.

Devotionem vestram in Domino commendamus quod, sicut veridica multorum relatione competimus, venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolicæ sedis Legatum ob reverentiam Dei & nostram humiliter recepistis & curastis honorificè tractare, ita quod ad commonitionem ejus, relictis uxoribus & filiis vestris, in forti manu & brachio extento cum Domino vestro Boemiam exeuntes, carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Otroni in Romanorum Imperatorem electo potenter & viriliter astitistis, in accessu autem vestro ei plurimum honoris accessit, cum congressum ejus ipsius fugerit inimicus, nec

Epist. 102.